



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117859**

§.8. Alphonsus castus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

§. VIII.

Sæcul. VIII.

A.C. 798.

*Alphonsus Castus.*

In Hispania rerum potiebatur Alphonsus cognomento Castus, quod cum Regina Bertha seu Bertinalda uxore sua de Gente Francorum continentiam servarer. Is multis de Musulmannis reportatis victoriis, in primis anno Regni sui *Sebast. Sal-*  
*tatis* tertio, JESu Christi 795. & Olisipone in potestatem suam redacta, ad Carolum *p. 51.*  
 Regem anno 798. misit Legatos, qui partem spoliorum Barbaris detractorum attulerunt, nempe servos nigra cute septem, mulos septem, & totidem lorias. Fœdus & amicitiam Caroli tanti faciebat Alphonsus, ut cum illi scriberet, se totum, quantus esset, devotum profiteretur.

Primus ipse Regum Sedem fixit Oveti, & in eadem urbe Ecclesiam pro modo opum suarum satis magnificentem ædificavit, ut ibi arcam seu thecam Reliquiarum, quibus Hispani Reipublicæ suæ salutem in acceptis referebant, deponeret. Erant autem hæc Reliquiae, Sanguis JESU Christi, qui ex effigie Crucifixi a Judæis *Sup. Lib. XLI. 40.* perforata prodigiose effluxerat, Lignum veræ Crucis, pars coronæ spineæ, & sudarioli, Pallium a S. Virgine S. Ildephonso donatum, & multa alia his similia. Ecclesia, in qua hæc Theca deposita, Salvatori

Sæcul. VIII.  
A. C. 799.

vatori dedicata erat, & plura Oratoria  
S. Virginis, S. Michaelis, S. Joannis Ba-  
ptistæ adjuncta. S. Eulaliæ quoque Re-  
liquiæ ibi asservabantur. Rex Alphon-  
sus tempore Regni sui, quod in annos  
quinquaginta productum, plures alias Ec-  
clesias, unam in honorem S. Tyrsi prope  
Palatum suum, aliam S. Leocadiæ, &  
liam S. Juliani, extruxit.

### §. IX.

*Felix Urgellitanus Romæ damnatus.*

*Sup. Lib.*

*XLIV. s. 53*

Cum Felix Urgellitanus, non obstante,  
quod hæresim suam Romæ coram  
Hadriano Papa ejurasset, esset relapsus,  
& liber ejus contra Alcuinum editus to-  
ti Ecclesiæ scandalum pareret, promo-  
vente Rege Carolo Romæ Concilium ad  
damnandum hunc librum convocatum  
*Elip. Conf.* est. Adfuere Episcopi quinquaginta se-  
*Fid. to. 7.* ptem cum Papa, qui Concilio præterat,  
*Conc. p. 1858* in Ecclesia S. Petri anno 799. a Regno  
Caroli trigesimo secundo congregati.  
Supersunt tria fragmenta trium Actio-  
num hujus Concilii, atque in secunda Leo  
Papa de Felice loquitur in hunc modum:  
*to. 7. p. 1150.* *Is in Synodo Ratisbonensi jubente Rege*  
*Carolo celebrata confessus est, se pessime*  
*docuisse, quod Iesus Christus sit Filius*  
*Dei adoptivus secundum Carnem, & da-*  
*to chirograpbo hanc doctrinam anathema-*  
*tizavit. Exinde ad Antecessorem no-*  
*strum*